

*consuetudinem*, duos aut plures eligendi, *praesertim immemorabilem*; ita ut praesertim sublata non sit consuetudo immemorabilis, sed nec etiam alia. Pro hac opinione afferri solent statuta capitularia in Gallia facta, et a Sede Apostolica approbata, in quibus plures vicarii eligendi notantur; item decreta conciliorum provincialium, quae revisione Romae facta, correctae non sunt, licet plures vicarios capitulares eligendos permitterent aut praescriberent, quamvis consuetudo immemorabilis allegari non possit. Negari quidem non potest, exinde robur addi doctrinae, quae admittit consuetudinem non immemorabilem. Cum autem simplex revisio vel confirmatio in forma communi nullam tribuat statutis et decretis auctoritatem Apostolicam, iisque nihil juris aut efficacitatis addat, qua antea carebant (1), validum inde argumentum deduci nequit.

Econtra alii docent ex sola consuetudine immemorabili plures constitui posse vicarios capitulares (2), et probant ex decisionibus S. C. C. supra allatis, quae solam immemorabilem expriment, ac dicunt, decisionem in causa Panormitana non eum habere sensum, ut praeter immemorabilem probet consuetudinem ordinariam. Praeterea plura dantur documenta, a Sede Apostolica recenti tempore emanata, quae clare ostendunt, solam praxim, unum eligendi vicarium, legitimam haberi, eamque non obstantibus consuetudinibus urgeri, quoties speciales non obstant difficultates; usum vero contrarium ob peculiare tantum locorum circumstantias tolerari (3). Unde notat De Angelis (4) eam consuetudinem tolerari quoad ea loca, in quibus consuetudo praescripta est, licet Sancta Sedes non permittat eam introduci in iis locis, in quibus non viget, quin imo suaviter curat, ut si fieri potest, etiam in illis locis cesset, in quibus legitime viget.

Notandum autem hic est, tempus consuetudinis in hac re non ita spectari posse sicut in aliis negotiis, quorum frequentes sunt actus. Ad inducendam enim consuetudinem aliquot et plures requiruntur actus: fieri autem potest, ut sedes Episcopalis tempore quadraginta annorum non vacaverit, vel tantum semel aut bis; et ita toto illo tempore nullus vel tantum unus aut alter actus occur-

(1) Bened. XIV de Syn. lib. 13, cap. V, n. XI.

(2) Fagnanus in 2 p. 1. Decretal. cap. *His quae de Major. et Obed.* n. 68; Cardinalis de Luca, Annot. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 40; Leuren q. 547; Pellegrinus part. 1. s. 4, subsect. 1, n. 17.

(3) Vid. Hermes de capitulo sede vacante cap. V.

(4) Praelect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 18.

rerit. Licet vero disputetur, quot actus ad consuetudinem constituendam requirantur; unus tamen vel alter actus consuetudinem non efficit (1).

V. Ubi duo sunt Episcopatus aequae principaliter uniti, et duo capitula cathedralia separata, tunc juxta plures utrumque capitulum, sede vacante, suum vicarium capitularem deputare potest, quum nec verba nec mens concilii obstent (2); juxta decreta autem S. Congregationis Episc. et Regul. (3) vicarius capitularis electus in simili casu vicarium cum limitata vel plena facultate pro altera dioecesi deputare potest.

VI. Si plures vicarii capitulares sine indulto Apostolico et sine legitima consuetudine eligantur, hujusmodi deputatio nulla et invalida dicenda est. Non tamen putandum est, ut plures notant auctores, jurisdictione caruisse sic deputatos, quia, dum bona fide et cum titulo colorato proceditur, Ecclesia supplet jurisdictionem (4).

VII. Habita facultate eligendi duos vicarios, isti alternis mensibus vicariatus munere fungi possunt, si legitima probetur immemorabilis consuetudo (5); si autem quoad hoc non adsit immemorabilis consuetudo vel privilegium, officium alternatim per menses exercere nequeunt (6).

§ 6. *An capitulum vicario capitulari consultorem, provicarium, aliosque officiales aut ministros adjungere valet.*

I. Vicarius capitularis omnia munera per seipsum exercere et perficere non debet, nec ordinarie potest; sed alios officiales assumere valet. Quod si dioecesis latitudo ac negotiorum multiplicitas plurium hominum operam exigat, nihil impedit, quominus vicarius capitularis unum vel plures tanquam provicarios sibi adsciscat, qui ejus sub potestate ac nutu negotia expediunt (7); et quibus

(1) Bouix, Revue des sciences ecclésiast. 1860, Octobre fol. 297.

(2) Cardinalis de Luca, Annot. pract. disc. 31, n. 41; Bouix p. V, sect. 1, cap. VIII, § V; Hermes loco cit. fol. 109.

(3) 4 Aug. 1775, *Terracinen seu Setina*, et 3 Sept. 1788, *Pontiscurvi*; Analecta juris Pontif. 1873, sér. 12, fol. 126, n. 566 et fol. 207, n. 678.

(4) Bouix loco cit. § IV in not. Revue des sciences ecclésiast. 1860, Octob. fol. 297; Hermes loco cit. fol. 109.

(5) S. C. C. 31 Maji 1592 in *Panormitana* apud Barbosa de canonicis cap. 42, n. 34.

(6) S. C. C. 13 Jul. 1669, in *Tirasonen*, apud Zamboni *Vicarius capit.*, § 1, n. 26.

(7) Ita S. C. C. 4 Sept. 1871 in instruct. ad Archiep. Albien. Analecta juris Pontif. sér. XI, fol. 524.

plenam vel limitatam potestatem et jurisdictionem pro arbitrio concedere potest (1).

II. Juxta aliquos auctores et quædam etiam rescripta particularia (2) capitulum non impeditur, vicario capitulari alium virum adsciscere, qui opem adjutricem eidem præbeat, quemadmodum in approbatione statutorum capitularium capituli Molinensis inculcatum est (3). Ex hac autem capituli deputatione nulla commoda proveniunt, tum quia omnis facultas tribuenda est a vicario capitulari, qui deputatum a capitulo admittere vel recusare potest, ejusque potestatem pro arbitrio limitare valet; tum quia, sive nominetur a capitulo, sive a vicario capitulari, æque recipere potest pensionem in Gallia et Belgio a gubernio solvendam. Juxta alios deputatio officialium ab ipso vicario capitulari facienda est, adhibito ad summum capituli consilio (4).

Nihilominus dicendum est, capitulum constituere non posse assistentes, consultores aut officiales, quibus vicarius capitularis uti tenetur. Talis nominatio pro nulla habenda foret; esset enim aliqua jurisdictionis restrictio, quam capitulum facere nequit, cum certum sit, totam sine restrictione jurisdictionem ad vicarium capitularem transire (5).

Hinc S. C. Congregatio respondit, substitutionem faciendam propter absentiam vicarii vel aliorum officialium spectare ad vicarium, non autem ad capitulum (6): item rescripsit, capitulum non posse eligere visitatorem ad visitandam diocesim absque vicario (7).

III. Si vicarius capitularis ob ægram valitudinem aliamve causam officium suum adimplere nequeat, et alium in regimine ecclesiæ sibi adjungere renuat, ad Sedem Apostolicam recurrendum est (8).

(1) S. Cong. Episc. et Regul. 4 Aug. 1775, *Terractnen et Setina*; 3 Sept. 1788, *Pontiscurvi*. *Analecta juris Pontif.* sér. XII, fol. 126, n. 566, et fol. 207, n. 678.

(2) *Revue des sciences ecclésiast.* 1860, Octob. fol. 301, V.

(3) 10 Jul. 1854.

(4) *Animadversiones in statuta capitularia*. *Analecta juris Pontif.* 1862, sér. 6, fol. 2042.

(5) Bouix de capitulis p. V, sect. 2, cap. III, consec. VI; *Compendium Nicolii* apud *Analecta juris Pontif.* 1869, sér. X, fol. 647.

(6) *Panormitana* 1575, dub. 4, apud Zamboni, *Capitulum ecclesiast.* § IX, n. 4; *Synodus diocesana Mechliniensis* 1609, tit. XV, cap. IV.

(7) *Messanen.* 1581, dub. 1, loco cit. n. 6.

(8) S. Cong. Episc. et Regul. 27 Aug. 1828, *Ceneten.* *Analecta juris Pontif.* 1873, sér. XII, fol. 1126, n. 883.

§ 7. *Capitulum in constituendo Vicario capitulari nullam jurisdictionem sibi reservare potest, neque eum ad tempus constituere aut remove potest.*

Probatur ex Litteris Apostolicis SS. D. Pii IX, *Romanus Pontifex* quinto kalendas Septembris 1873, quæ statuunt:

“ Quidam censuerunt posse capitulum in constituendo Vicario  
 ” aliquam jurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas  
 ” esse capitulo ad certum tempus Vicarium deputare: nec defue-  
 ” runt qui arbitrati sunt, licere capitulo Vicarium pro arbitrio  
 ” remove, et alium substituere.  
 ” Recensitæ scriptorum sententiæ a nonnullis capitulis libenter  
 ” exceptæ sunt: quo factum est, ut in hac re tam magni momenti  
 ” disciplinæ uniformitas deficeret, et Tridentinum decretum opta-  
 ” tum finem plene non attingeret. Quamvis autem SS. Urbis  
 ” Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occur-  
 ” rentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis mani-  
 ” feste appareat, quæ fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo  
 ” decreto superius relato; attamen cum nondum omnia ubique ad  
 ” eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamli-  
 ” bet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et decla-  
 ” rationibus Apostolicæ auctoritatis robur adjiciendum censemus.  
 ” Quocirca motu proprio, ac certa scientia, et matura delibera-  
 ” tione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus  
 ” et decernimus: totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quæ  
 ” vacua sede Episcopali ad capitulum venerat, ad Vicarium ab  
 ” ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam hujus jurisdic-  
 ” tionis partem posse capitulum sibi reservare; neque posse ad  
 ” certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque  
 ” minus remove, sed eum in officio permanere quousque novus  
 ” Episcopus litteras Apostolicas, de collato sibi Episcopatu, capi-  
 ” tulo, juxta Bonifacii VIII Prædecessoris Nostri Constitutionem,  
 ” vel capitulo deficiente, ei exhibuerit, qui ad normam SS. Cano-  
 ” num, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem diocesim  
 ” administrat, vel ejusdem Administratorem, seu Vicarium deputat.  
 ” Quamobrem pro nullis habendæ sunt limitationes, seu quoad  
 ” jurisdictionem, seu quoad tempus adjectæ a capitulo electioni  
 ” vicarii capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium  
 ” semel sibi rite collatum, toto tempore, quo sedes Episcopalis

» vacua fuerit, totamque ordinariam jurisdictionem Episcopalem  
 » libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Aposto-  
 » licas canonicæ suæ institutionis litteras, ut diximus, exhibeat. »

Not. hæc etiam intelligenda esse de Vicario, jure devolutivo a  
 Metropolitano vel antiquiori Episcopo constituto, cum litteræ  
 Apostolicæ declarent et decernant, Vicarium in officio permanere,  
 eumque totam ordinariam jurisdictionem Episcopalem libere et  
 valide exercere, donec novus Episcopus Apostolicas canonicæ suæ  
 institutionis litteras capitulo, vel capitulo deficiente, ei exhibuerit,  
 qui ad normam SS. Canonum vel ex speciali Sanctæ Sedis dispo-  
 sitione, vacantem diœcesim administrat, vel ejusdem administra-  
 torem seu vicarium deputat.

Vicario igitur capitulari constituto, capitulum nullo amplius  
 modo diœcesis administrationi sese immiscere potest. Si Vicarius  
 negligens fuerit, vel ob ægritudinem aliamve causam inhabilis,  
 capitulum aget quoad Vicarium capitularem, quod ageret erga  
 Episcopum, prout dictum est cap. XVII; eique semper datur recur-  
 sus ad Sedem Apostolicam.

## CAPUT XX.

### DE ELECTIONE VICARII CAPITULARIS.

#### § 1. De forma electionis.

I. Nulla in jure adest forma specialis pro vicario capitulari  
 eligendo præfinita; neque ipsum Concilium Tridentinum eam con-  
 stituit, dum statuit, quod capitulum *vicarium infra octo dies post  
 mortem Episcopi constituere vel existentem confirmare omnino  
 teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus,  
 vel alias quantum fieri poterit idoneus.*

Neque necessario sequenda est forma Decretalium lib. 1, tit. VI,  
 de elect. cap. 42, *Quia propter*, neque decreti Concilii Tridentini  
 sess. 25. cap. VI, de regularibus et monialibus, quia in cap. *Quia  
 propter* agitur de electione Prælatorum, qui principalem et per-  
 petuam obtinent jurisdictionem, cum vicarii capitulares sint tem-  
 poranei et momentanei; et in Concilio Tridentino loco allato dis-  
 ponitur de electione superiorum regularium. Nonnulli quidam  
 putant, formam capituli *Quia propter* in electione vicarii capitu-

laris servandam esse: et licet consultum sit, multumque conveniat,  
 quod, uti Concilium Tridentinum pro electione superiorum regu-  
 larium præscribit, electio per vota secreta fiat; tum ad plura præ-  
 cavenda incommoda, quæ oriri possunt, tum quia agitur de negotio  
 sane gravi, qualis est electio personæ, quæ ordinariam Episcopalem  
 jurisdictionem exercere debet; hæc tamen forma in electione seu  
 deputatione vicarii capitularis de necessitate servanda non est (1);  
 sed satis est, si capitulares collegialiter congregati, per plura vota,  
 quempiam cæteroquin habilem eligant, quomodocumque consensum  
 suum expriment (2). Eæ tamen conditiones servari debent, quæ  
 veluti ex rei natura profluunt, quæque cuicumque electioni a certo  
 personarum collegio peragendæ per se inhærent (3).

Hujusmodi conditiones observandæ, sunt 1º, quod electio colle-  
 gialiter et capitulariter sit perficienda: aliter enim electio non  
 esset actus a corpore morali collective elicited, sed potius resol-  
 veretur in tot suffragia seorsim sumpta singulorum electorum,  
 quæ actum moraliter unum constituere nequeunt, quemadmodum  
 aperte traditur in decretalibus lib. 1, tit. VI, de elect. cap. 55,  
*In Genesi.*

2º Vota sint libera, et non coacta.

3º Major pars electorum præsentium in ejusdem personæ elec-  
 tionem consentiat, quacumque ratione id fiat, sive in scriptis, sive  
 oretenus (4).

#### § 2. Quomodo electio vicarii capitularis collegialiter et capitulariter perficienda est.

1º Ad constituendum vicarium capitularem, capitulum legitime  
 convocandum est ab eo, ad quem de jure vel consuetudine spectat,  
 indicatis loco, die et hora.

(1) S. C. C. 17 Jul. 1655 *Sulmonen*; 11 Maji 1669, *Assisten*, quæ referuntur in  
*Leopoldien*. 14 Januarii 1736; 9 Aug. 1862. Acta S. Sedis, vol. 8, fol. 389; Pigna-  
 telli tom. 8, consult. 34; Cardinalis de Luca de canon. disc. 26, n. 3 et seq.;  
 Garcias de beneficiis, p. 5, cap. 7, n. 21 et 22; Scarfantonius lib. IV, tit. VII,  
 animadv. 22 et seq.; Lucius Ferraris, *Vicarius capit.* art. 1, n. 64; Lucidi de  
 Visitatione SS. Lim. vol. 2, postulatam XIV, n. 120; Hermes, dissertatio de  
 capit. sede vacante cap. IV.

(2) Reiffenstuel, lib. 1, Decretal. tit. VI, de electione n. 112.

(3) Acta S. Sedis, vol. 1, fol. 163, IV.

(4) Acta S. Sedis, vol. 8, fol. 401.